



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LXXIX. De licentia Ordinarii, vel Parochi ad assistendum matrimonii  
obtenta, deque Parochi, ac testium præsentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS LXXIX.

*De licentia Ordinarii, vel Parochi ad assistendum  
matrimoniis obtenta, deque Parochi, ac testium presentia.*

**H**ugo nobilis Juvenis, & Rosa paris nobilitatis puella allegatis variis rationibus facultatem obtinent ab Ordinario contrahendi coram Ambrosio sacerdote cognato sponsæ de præscitu proprii Parochi, & præmissis denuntiationibus, salvisque jurebus Parochialibus, qui tamen satis certi de absentia impedimenti, omisso proprii Parochi præscitu, & denuntiationibus, contrahunt non coram Ambrosio tunc ægrotante, sed coram Cleto sacerdote sponsi fratre, & præsentibus aliquot Consanguineis, alteroque die jura Parochialia proprio Parocho persolvunt.

*QUÆR. I. An sufficiat licentia Ordinarii, vel Parochi, quæ habetur ex rati-  
habitione de futuro, ut Sacerdos alienus assistere possit matrimonio, aut  
etiam tacita de præsentibus?*

*QUÆR. II. An quando ab Ordinario committitur extraneo Sacerdoti li-  
centia assistendi matrimonio de præscitu proprii Parochi, vel præmissis  
denuntiationibus. valeat matrimonium, si Parochi præscitus, vel denun-  
tiationes omittantur?*

*QUÆR. III. An valida sit licentia assistendi matrimonio dolo, & mendaciis  
obtenta, aut metu extorta?*

*QUÆR. IV. An ad assistendum matrimonio sufficiant qualescumque testes, &  
an valeat matrimonium contractum coram Parocho, & testibus vi, aut do-  
lo detentis, & invitis?*

453 **A**D I. Q. R. I. Videtur suf- turo. Ratio est. Primò; quia  
ficere ratihabitionem de fu- ad audiendas Confessiones requi-  
ritur



ritur similiter licentia proprii Sacerdotis, cap. omnis utriusque sexus de penit. & remiss. & tamen satis est licentia præsumpta ex ratihabitione de futuro, ut tradunt Host, Sum. t. de penit. & remissio. §. Cui confitendum n. 14. vers. octavo. Henric. d. c. omnis utriusque sexus e. 24. vers. 8. Jac. de Cochis in repetit. ejusdem cap. n. 116. Ubi sic arguunt: *Vallet Confessio, si alienus Sacerdos ponat spem suam in proprium Sacerdotem, ut ratum habeat: ergo similiter sufficiet in matrimonio.* 2. Quia nemo potest ministrare Eucharistiam, aut extremam Unctionem alieno Parochiano sine proprii Parochi licentia, Clement. Dudum, §. Verum, ne parochiale &c. & Trid. Sess. 24. c. 13. de R. & tamen hoc non obstante ad ministrandam Eucharistiam, aut Extremam Unctionem sufficit licentia præsumpta, seu ratihabitione de futuro, quando nimirum attentis circumstantiis personæ, temporis, & loci probabiliter creditur, ratum habiturum Parochum, ut docent Palud. 4. d. 23. q. 2. n. 14. S. Ant. 3. p. t. 14. c. 15. §. 5. Cajet. Sylvest. Armil. Navar. Henric. aliique: ergo similiter sufficiet in matrimonio. 3. Ex C. Aqua 9. de conf. Eccl. ubi Pontifex asserens, reconciliationem Ecclesiæ non potuisse ex commissione Episcopi fieri per Sacerdotem simplicem, subdit sequentia: *Quod autem per reconciliationem factum est, misericorditer toleramus.* Ubi Gloss. V. to-

leramus, ait, licet prima non valuerit, at incipit valere ex nunc. ergo pariter quamvis matrimonium, absque licentia de præsentis Parochi, esset nullum, saltem quando accederet ejus ratihabitione, incipiet valere, quod

Conf. quia juxta reg. Ratihabitionem de reg. jur. in 6, ratihabitione mandato æquiparatur, & retrahitur ad tempus celebrati contractus: sed si in principio intervenisset mandatum Parochi, esset validum matrimonium: ergo erit validum ex tunc, quando postea Parochus ratificat licentiam.

Nihilominus dicendum est, non<sup>454</sup> sufficere licentiam de futuro, ut ex communi docent Sanch. l. 3. D. 35. n. 17. & 20. Palud. 4. d. 14. q. 3. Cajet. V. absolutio c. 1. Suarez. 3. p. q. 82. a. 3. D. 72. S. 2. Palao tr. 18. D. 2. p. 13. Coninck D. 27. de Sac. dub. 3. n. 31. Hurtad. Gobat. Wiestn. Schmalzgr. & alii. Ratio est. 1. Quia juxta Tridentinum alienus assistens matrimonio, debet habere licentiam assistendi ab Ordinario, vel à Parocho; is autem, qui credit, Parochum licentiam sibi concessurum, si peteret, re vera licentiam non habet, sed esset habiturus: ergo &c. & ratio ulterior est, quia valor Sacramenti non potest esse in pendentis, seu suspendi, sed, dum fit, Statim debet esse vali-



validum, vel irritum: ergo si dum matrimonium celebratur, habetur tantum ratihabitio de futuro, & non licentia de presentia, non erit validum. Quod

Conf. Quia quoties ad valorem actus requiritur licentia, debet illa actum præcedere, in eoque intervenire. *Auth. Licentia. C. de Episc. & Cleric. & l. siquis mihi 25. §. iustum 4. ff. de acquir. vel omit. hered.* ergo etiam in contractu matrimoniali. Unde

Ad argumenta in contrarium proposita R. Ad 1. eorum DD. doctrinam non esse admittendam; ut ait citt. Sanch. Cum enim ad absolutionem Sacramentalem, ut valeat, requiratur iurisdicção in pœnitentem, & hanc non habeat Sacerdos extraneus, requiritur consensus proprii Sacerdotis, seu ratihabitio de presentia.

Ad 2. R. N. parit. disparitas est; quia licentia ad ministrandam Eucharistiam alieno Parochiano requiritur duntaxat ad eam licentiam ministrandam, non autem ad valorem, unde satis est probabilis spes, & præsumptio consensus ipsius Pastoris; secus quando licentia, & iurisdicção necessaria est ad substantiam, & valorem rei, ut in pœnitentia, & matrimonio, ubi licentia actum præce-

dere debet, ut supra probatum est.

Ad 3. R. disparem esse rationem; in Sacramentalibus enim, cum solennitas sit de jure Ecclesiastico, potest illam Pontifex mutare, & sic supplere defectum omissum, ut ex nunc incipiat valere; secus in matrimonio, ubi si semel non valuit, non potest Ecclesia facere, ut ex nunc valeat, nisi contrahentes renouent consensus; sicque explicant citt. DD. *cap. Aqua citt.*

Ad Conf. R. ratihibitionem retrahi, & mandato æquiparari, quando valor actus pendet ex solo mandato, & voluntate Domini; hoc autem non fit in matrimonio, cuius valor pendet à contrahentium consensu legitimo, qui cum ab initio non adfuerit, necessarium est, ut repetatur.

R. 2. Cum citt. supra DD. aliis<sup>455</sup>que infra citandis, ut alienus Sacerdos possit assistere matrimonio, sufficit licentia tacita de presenti. Ratio est, 1. quia in favorabilibus, & quæ modici sunt præjudicii, scientia, & patientia operantur consensus, *arg. C. un. de despons. impub. in 6. l. si ut proponis 5. C. de nupt. & tradunt Bart. l. que dotis n. 24. ff. sol. matr. Abb. C. nonne, 3. 4. de præsumpt. Masc. de prob. Concl. 1158. n. 37. & apud hunc*



hunc alii complures: atqui matrimonium est favorabile, & assistentia illi præstita ab alio Sacerdote modicum, aut nullum præjudicium affert Parocho: ergo operantur consensum, seu legitimam licentiam. 2. Quia ubi licentia requiritur in actu, sufficit tacita, & præsumpta ex ratihabitione de præsentibus, arg. C. fin. de offic. Vicar. in 6. & multis probat Jo. Lupus rubr. de donat. §. 68. n. 27. cum aliis.

3. Quia eodem tenore C. omnis utriusque sexus citat. requiritur licentia proprii Sacerdotis, ut alienus Sacerdos possit Confessiones audire, & tamen sufficit licentia tacita, quæ habetur ex ratihabitione de præsentibus, ut docent Cajetan. Sum. V. absolutio, Sylvest. Confessio. q. 6. & q. 15. Rosella Confessio Sacramentalis 3. n. 31. Sotus 4. d. 18. q. 4. a. 3. Navar. Sum. c. 9. Sanch. l. c. Ledesm. Henriq. Ang. alique complures: ergo etiam sufficit in matrimonio: Unde La-Croix l. 6. p. 3. n. 735, qui obtinuit, inquit, licentiam, ut inire possit coram Parocho S. Petri, si ineat coram Parocho S. Martini, assistentia tum est valida, si designatio Parochi S. Petri est facta in gratiam petentis; nam est tacita, & implicita licentia, ut etiam alium adeat: si autem hæc licentia esset facta ex speciali causa movente ad designandum Parochum S. Petri, ita ut non dimississet ad

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

alium, assistentia erit invalida. Gob. n. 325, & conforme est dictis l. 6. p. 2. n. 2241. Hæcille. Plura hæc de re videri possunt in Cas. 51. part. 1. Decisionum practicarum &c.

Ad 2. Q. Videtur non valere 456 matrimonium, si, quando datur licentia assistendi, præmissis denuntiationibus, aut præscitu proprii Parochi, omittantur denuntiationes, aut Parochi præscitus; quia quando conceditur licentia sub certa forma, quæ non observatur, invalida est data licentia, hoc ipso, quòd hæc non operetur ultra mentem concedentis, Nihilominus,

Dicendum est cum Gloss. Clem. 1. de offic. deleg. V. repererit. Abb. n. 19. Navar. Sum. c. 27. n. 37. ubi ait, id esse receptissimum. Covar. C. Alma mater. 1. p. §. 9. n. 8. de sent. excomm. in 6. Innoc. C. fin. de præsumpt. & C. prudentiam, n. 9. vers. etsi contrarium &c. Felin. n. 29. Sanch. l. 3. D. 33. n. 3. Avers. q. 6. S. 4. §. ult. La Croix l. 6. p. 3. n. 732. aliisque, matrimonium eo in casu validum esse, si quidem vera nullum subsit impedimentum dirimens. Ratio est, quia quoties exprimitur in commissione forma juris communis, eo modo, quo de jure inest, non est mens, & intentio committentis inducere novam formam, & conditionem strictè talem, sed censetur tantum

R r r

apponi



apponi tanquam modus, & admonitio quædam, ut serventur ea, quæ de jure servanda sunt; & ratio ulterior est, quia expressio ejus, quod tacitè inest, nil prorsus operatur, *cap. signific. de elect. l. 3. de leg. 1. Conditiones, quæ extrinsecus, ff. de cond. & demonst. licet enim non exprimeretur, jure subintelligebatur: Cùm ergo sit jure communi expressa illa forma præmissis denuntiationibus, cap. fin. de clandest. despons. & Trid. Sess. 24. c. 1. de matr. dum exprimitur in licentia, ea forma non est conditio, & restrictio licentiæ, sed admonitio, ut servetur: Quare cùm neque in citt. cap. fin. nec in Trid. præscribantur monitiones tanquam aliquid pertinens ad essentiam matrimonii, illarum omisio nec vitiat licentiam, nec matrimonium, etiam non præmissis denuntiationibus, utpote non pertinentibus ad essentiam matrimonii. Ex hoc ipso capite inferunt citt. DD. commissione facta Judici, ut condemnet Titium, si Petrus probaverit debitum, valere sententiam Judicis condemnantis, Petro non probante, quia est conditio, quæ de jure inerat. Similiter, si in delegatione dicatur, Confero Beneficium Petro, si fuerit idoneus, non esse conditionem, quia jure communi inerat, nec nova idoneitas jure communi non requisita, exprimitur, ac proinde actum contra gestum valere. Unde patet responsio ad ra-*

tionem dubitandi supra insinuatam. Id enim verum est, quando ea forma, posita in commissione, non est forma juris communis, sed nova, tunc enim importat conditionem, qua non servata, invalida est licentia conditionata.

Idem videtur dicendum de præscitu proprii Parochi, & salvis juribus Parochialibus, videlicet esse duntaxat modum & clausulam præceptivam, & non irritantem, ad vitandas nempe querelas proprii Parochi, & ne detraudetur suis juribus. Ratio est, quia ex una parte favor matrimonii in jure est amplissimus, ex altera parte, cùm Tridentinum irritans matrimonia sit correctorium, potius pro valore standum est, quando ea observantur, quæ ad tollendam clandestinitatem sunt præscripta, ad quod sufficit, si matrimonium contrahatur vel coram Parocho proprio sponsi, aut sponsæ, præsentibus duobus saltem aliis testibus, vel coram alio Sacerdote ex commissione proprii Parochi, vel Ordinarii, & dictis testibus, ubi nulla fit mentio de præscitu proprii Parochi, nec solet in ejusmodi commissionibus apponi; utpote nihil faciens ad finem Tridentini; quo proin omisso valebit nihilominus matrimonium, nisi aliunde aliquid obstat.

Porro ut matrimonium valeat, 457  
debet licentia assistendi fuisse intimata,



timata, & acceptata ab eo, cui conceditur, ut tenet probabilior DD. sententia cum Sanch. l. 3. de matr. D. 36. Palao tr. 28. D. 2, p. 13. Coninck. D. 27, de Sacram. n. 32. Filliuc. Hurtad. Barbof. Averl. Wiest. Schmalzgr. aliisque; quia talis licentia sapit naturam gratiæ privilegio concessæ, estque quædam privilegii donatio; privilegia autem, & donationes indigent alicujus saltem acceptatione, nec sortiuntur effectum, nisi à tempore, quo certior de illis fit is, cui conceduntur. *Cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* Unde si quis licentiam assistendi habeat, & se illam habere nesciat, non assistit validè; quia licentia non est valida, nisi acceptetur; acceptari autem nequit ab ignorante. Quòd si per nuntium submissum petita sit à Parocho licentia, ut alius Sacerdos assisteret, & quia sciebatur, eam esse obtinendam ante horam decimam v. g. hora verò undecima ineatur matrimonium ante adventum submissi nuntii, valida erit ea licentia, ut docent. cit. DD. quia satis est, illam esse petitam, & acceptatam à nuntio ad eam petendam destinato.

458 Ad 3. Q. An valida sit licentia assistendi matrimonio dolò, & mendaciis impetrata, uti si falso nomine alicujus Magnatis, vel falso allegatâ causâ urgentis necessitatis licentia petatur? R. sub distinctione; vel enim tale men-

dacium, aut ratio falso allegata habuit rationem causæ finalis, aut solum impulsivæ. Si habuit rationem causæ finalis, ita ut concessio licentiæ alligata fuerit à concedente veritati causæ allegatæ, clarum est, licentiam esse invalidam, & consequenter matrimonium, quia tunc apertè deficit consensus in concedente. Si verò habuit rationem causæ solum impulsivæ, tunc etsi concedens cognita falsitate allegationis non fuisset licentiam concessurus, si tamen allegationi falsæ concessionem suam non alligavit, valida est licentia, ut docent Sanch. l. c. D. 39, n. 14. Coninck l. c. n. 37. Casp. Hurtad. de matr. D. 5. diffc. 11. Palao. l. c. Perez D. 41, S. 6. Wiestn. hinc, n. 79. Schmalzgr. n. 212. Ratio est; 1. quia causa impulsiva cessante, non cessat dispositio, ut probat Tiraq. cum aliis tract. cessante causa limit. 1. à n. 1. usque ad 10. Nec talis videtur esse mens concedentis licentiam, ut velit eam esse irritam existente ea falsa petitione, ne matrimonium passim irritetur, ex eo vel maxime, quòd concedentes non lateat, sæpè mendaces esse, & fictitias ejusmodi petitiones. 2. Quia hoc ipso quòd causæ, & authoritati allegatæ consensus concedentis alligatus non sit, ille simpliciter & absolutè est præstitus, non obstante, quòd si falsitatem allegationis cognovisset, licentiam non concessisset.

R r r 2

Nec



Nec obest, quòd dispensatio, vel concessio alterius gratiæ Apostolicæ, impetratæ per narrationem falsitatis, aut reticentiam veritatis, nulla sit, si cognito defectu concedenda non fuisset. Nam etiam dispensatio, aut gratia Apostolica non per qualemcunque expressionem falsitatis, aut reticentiam veritatis redditur obreptitia, vel subreptitia, sed per eam duntaxat, quæ juxta Stylum Curia, aut receptam consuetudinem requiritur ad valorem dispensationis, vel gratiæ concessæ; sicut ergo quando valor concessionis Pontificiæ non est alligatus falsæ allegationi, valida est concessio gratiæ Pontificiæ, vel dispensationis, ita pariter valida erit concessio licentiæ assistendi matrimonio, si ea non alligetur falsæ allegationi; secùs tamen dicendum est, quando dolus, vel error contingit circa causam finalem, ipsamque substantiam, ut per se patet.

459 Ad 2. Membrum Q. 3. Videtur non valere licentiam metu extortam; quia quamvis contractus non tantum onerosi, sed etiam lucrativi, ut est donatio, regulariter metu extorti valeant, nec jure positivo irritentur, ut tenet communis DD. eò quòd habeant libertatem jure naturæ requisitam, excipitur tamen jurisdictio; quæ interveniente metu non transfertur, ut cum aliis docet Gloss. c. 2. verb. *Coactus ad fin.*

*de his, qua vi.* Unde si metus annullat prorogationem jurisdictionis, à fortiori impedire debet ejus translationem. 2. Quia constitutio Procuratoris matrimonialis, & promissio dotis metu extortæ non aliam ob causam irritantur, quam propter relationem, quam habent ad matrimonium, quod metu extortum invalidum est: ergo ob eam rationem irrita erit licentia assistendi matrimonio metu extorta, quia hæc etiam ad matrimonium referatur. Verùm

Dicendum est cum relatis supra DD. & Barbosa *de offic. Episc. alleg. 32. n. 115. & 133.* Concessionem dictæ licentiæ validam esse. Ratio est tum quia alii contractus metu extorti regulariter validi sunt: ergo etiam talis licentia valebit, quæ est quasi quædam donatio; tum quia etsi talis licentia sit metu extorta, ipsum tamen matrimonium coram Sacerdote, & testibus ex tali licentia contractum liberum est à metu: ergo non est, cur ex hoc capite invalidum sit, cum nec matrimonium ex tali licentia contractum, neque ipsa licentia metu extorta in jure irritentur. Unde

Ad 2. Rationem in contrarium allatam n. Conseq. & parit; disparitas est, quia Constitutio Procuratoris matrimonialis, & promissio



missio dotis metu extortæ valore destituuntur ex juris dispositione; non autem jure expressum habetur, quod talis assistendi licentia irrita sit, & valore destituta, nec per hoc, quod ad matrimonium referatur, tollitur, vel imminuitur libertas ipsius matrimonii taliter coram Parocho, & testibus contracti.

Ad 1. Rationem ait citt. Sanch. n. 13. verius esse jurisdictionem metu extortam validè transferri, quod ipsum docet Card. c. 2. de his, que vi, n. un. vers. quintus Cas. & C. licet. q. 31. de elect. Sed esto, jurisdictionis prorogatio metu extorta invalida sit, is casus est specialis, exceptus à regula generali docente metu gesta tenere, atque ad eam ejus nullitas absque alio textu extendi non debet ad licentiæ concessionem contra regulam generalem, nec talis concessio actus jurisdictionis est, neque per eam jurisdictionis aliqua transfertur, ut probat Sanch. l. 3. D. 21, n. 7.

460 Ad 4. Q. Supponendum est, ad valorem matrimonii necessariam esse præsentiam Parochi, ac testium non tantum physicam, seu corpoream, sed præsentiam moralem, & humanam, ita scilicet, ut usum habeant rationis, advertant, quid agatur, & utriusque contrahentis consensum intelligant; quia ideò postulat Tridenti-

num præsentiam Parochi, ac testium, ut constet Ecclesiæ de matrimonio contracto, & de eo authenticè testari possint: ne quis vivente adhuc prima uxore, secundam ducat: atqui si non advertant, & intelligant, quid agatur, nequeunt authenticè testari, nec potest Ecclesiæ constare de matrimonio legitimè contracto; nec censentur moraliter præsentis fuisse, etiam juxta l. c. Coram Titio, ff. de Verb. signif. ergo. An autem quorumcumque testium præsentia sufficiat, anue testes requirantur omni exceptione majores, id est, tales, qui nullum patiantur vitium, propter quod jure repellantur à testimonio dicendo? non convenit inter DD. Covar. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 12. Ant. Gabr. 1. 3. comm. l. 1. tr. de test. concl. 8. n. 3. Mascari. de prob. concl. 1366. n. 4. Franc. Molinæus de rit. nupt. aliique Neoterici requirunt testes legitimos, & omni exceptione majores, quod probant. 1. Quia in causa matrimoniali, utpote gravissima, & ardua, non quibuslibet testibus est fides adhibenda, sed circumspectis, omnique exceptione majoribus, c. 1. de consang. vers. Nunc questio, ubi, si per testes circumspectos omni exceptione majores inveneris: ergo cum Tridentinum exigat testes, ut per illos probari possit matrimonium, intelligendum est de testibus legitimis, qui secundum jus fidem faciunt; ideò enim exigat duos, vel tres testes, ut ma-



trimonium non sit clandestinum, ut autem tale non sit, requiritur, ut habeatur legitima illius probatio, quia matrimonium, cujus legitima probatio non habetur, pro clandestino reputatur, *C. quod nobis 2. h. tit. 2.* Quia ratio, quam assignat Tridentinum, irritandi matrimonia clandestina, est, ne quis publicè possit inire secundum matrimonium, eo, quòd primum clam contractum probari non possit: atqui hoc inconveniens non evitaretur, si sufficerent testes, qui ob aliquod vitium à testimonio repelluntur, & quibus in foro externo fides adhibenda non est, cum adhuc improbabile maneat primum matrimonium ob testium defectum. 3. Ad probandum matrimonium antiquo jure, *C. super eo 22. de test. & attest.* requirebantur testes non qualescunque, sed integri, & omni exceptione majores, & quorum fides erat suspecta repellabantur: ergo etiam jure novo testes à Tridentino requisiti debent esse legitimi, & omni exceptione majores, quia cum correctio jurium sit vitanda, *l. Præcipimus C. de appellat.* novum jus, dum aliud non exprimit, interpretandum est secundum jus antiquum. Nihilominus

461 Dicendum est, in testibus ad assistendum matrimonio non requiri specialem aliquam qualitatem, sed sufficere quoscunque testes rationis compotes, etiam imberbes, servos, foeminas, confan-

guineos, Religiosos, excommunicatos, infames &c. Ita communis DD. cum Sanch. *l. 3. D. 41. n. 5.* Palao *tr. 28. D. 2. p. 13. §. 13.* Coninck *D. 27. n. 41.* Barbos *de offic. Episc. alleg. 32. n. 138.* Perez *D. 41. Sect. 9. n. 5.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4.* Rodriq. Petr. Ledesm. Gonzal. Schmier. Wistn. Schmalzgr. aliisque. Ratio est 1. Quia Tridentinum, dum exigit duorum, vel trium testium praesentiam, nullam facit mentionem de testium qualitate; ergo signum est, quòd nullam qualitatem in testibus exigit, præter eam, quæ de jure naturæ est necessaria, quo jure nemo usum rationis habens repellitur à testimonio dicendo, aliàs, si Trid. qualitatem aliquam postulasset, illius mentionem fecisset, sicut fecit *C. cum esses, de testam.* Ubi ultra Parochum volens adesse duos vel 3. testes legitimos, & idoneos, id expressit hisce verbis: *Coram Presbytero, & tribus, aut duabus aliis personis idoneis.* Quod

Confirmatur ex eo, quòd decretum Tridentini, exigentis praesentiam dictorum testium sit Correctorium juris naturalis, & Ecclesiastici antiqui, quo nullus requirebatur testis, sed valebant matrimonia clandestina: ergo, tanquam odiosum, restringendum est, & intelligendum de quibuscunque testibus prout ejus verba sonant, quæ nullam specialem qualitatem expriment.

P. 2.



P. 2. Quia testes etiam minus habiles, & illegitimi faciunt sufficientem fidem, nec repelluntur, quando communi partium consensu adhibentur, ut cum Gloss. Auth. de testib. §. & licet verb. l. & sup-  
pliciis tradunt Bald in l. 6. c. de testib. n. 1. Ant. Gabr. tit. de testib. concl. 10. n. 50. Jason. l. 1. §. fin. n. 9. ff. de V. O. Sanch. l. c. & alii: atqui in matrimonio adhibentur testes communi contrahentium consensu: ergo sufficienti quicumque; præfertim cum causa matrimonii sit favorabilis, C. fin. de sent. & re judic. & c. directa 39. de Appellat. & in causis favorabilibus admittantur ad probandum etiam testes, qui alias non sunt idonei, & habiles, arg. C. in fidei 6. de Heret. in 6. 3. Quia testes minus habiles admittuntur, quando concurrunt cum alio habili & omni exceptione majore; tunc enim excessus, &abilitas unius supplet inhabilitatem alterius, ut multis citatis testantur Ant. Gabr. l. c. concl. 5. n. 1. & seq. Mascar. de probat. concl. 1365. n. 13. apud Sanch l. c. Atqui in posito casu cum reliquis testibus concurrat Parochus, cujus authoritati multum tribuitur c. c. Cum esses. & cujusabilitas ob dignitatem personæ excellens est, quique quatenus matrimonium cum nominibus testium refert in Librum ad id destinatum, ut præcipit Trid, fidem

plenam facit instar Notarii publici: ergo. Unde

Ad argumenta in contrarium proposita R. Ad. 1. textum illum agere, quando tractatur de matrimonio dissolvendo propter impedimentum, cujus longè alia est ratio, quam contractus matrimonialis; dissolutio enim matrimonii cedit in gravissimum præjudicium conjugis, & ipsius Sacramenti, & id circò ad impedimentum probandum non sufficienti qualescumque testes, sed requiruntur omni exceptione majores, sicut in causis criminalibus; contra verò contractus matrimonii, ejusque probatio est favorabilis; in causa autem favorabili admittuntur testes etiam non idonei, ut supra dictum est. Demum esto, etiam testes idonei requirantur, id tamen intelligi debet, nisi vitium testium aliunde suppleatur: hinc autem suppletur Parochi præsentia, qui testis est plusquam habilis, & qualificatus, & quia communi contrahentium consensu adhibentur, quæ duo suppleant testium defectum. Pariter quòd in causa ardua non sufficienti qualescumque testes, intelligendum est, nisi ea sit favorabilis, & vitium testium aliunde suppleatur.

Ad 2. N. min. quòd sequatur idem inconveniens, quia ad probandum prius matrimonium contractum



tractum esse, sufficiunt in hoc casu etiam illi testes inhabiles, iisque fides adhibetur ob rationes supra insinuatias.

Ad 3. Conseq. transmitti potest tunc, quando jus novum loquitur in eodem casu juris antiqui, quod hic non contingit, quia jus antiquum loquitur in casu, in quo non suppletur inhabilitas testium per aliquid aliud; Tridentinum autem loquitur in casu, in quo vitium testium suppletur Parochi presentia. Dein ex citt. *C. super eo* &c. potius colligitur ad probationem matrimonii non requiri testes omni exceptione majores; nam licet mater ibi repellatur à dicendo testimonio, admittitur tamen contestis femina, quamvis non sit omni exceptione major juxta *C. forus 10. fin. de V. S.* Cur autem mater fuerit ibi repulsa, causa erat, quod ejus fides esset valde suspecta ob emolumentum divitiarum, & honorem filiae suae ex matrimonio cum Viro nobili, & divite proveniente, quem cum filia per verba de presenti contraxisse testari volebat. Quamvis ergo jure antiquo ad dissolvendum matrimonium desiderati fuerint testes omni exceptione majores, citt. *C. 1. de Consang.* ad probandum tamen illud esse contractum, non exigebantur; Nec jus antiquum irritabat ma-

trimonium absque testibus contractum, sicut tamen irritat Tridentinum: Unde cum rigidius sit hujus decretum, & in damnum matrimonii, Strictius est intelligendum juxta tenorem verborum, ut supra dictum est.

Ad 2. Membrum Q. 4. Communis DD. sententia cum citatis supra AA. aliisque compluribus contra Seguram p. 2. *Direct. Jud. c. 15. n. 588.* & non nullos alios, tenet valere matrimonium, quamvis Parochus, & testes dolo, vel vi detenti intersint, dummodo intelligant consensum contrahentium, & advertant, quid agatur, cui sententiae suffragatur multiplex Declaratio Congreg. Cardin. apud Farin. pag. 268. inter quas est etiam haec: *An verò si invitus, & compulsus adsit Parochus - tale matrimonium subsistat? Congregatio respondit: subsistere.* Quod ipsum innuit etiam *l. Coram Titio 209. ff. de verb. ob.* ubi scire autem, non etiam velle is debet, nam etiam eo invito recte fit. Et ratio ulterior est, quia etiam per talem Parochi, & testium presentiam impletur praecipuum Tridentini, quod aliud non praecipit, quam ut matrimonium celebretur coram Parocho, & testibus, & insuper obtinetur finis à Trid. intentus, & ex ejus praefatione collectus, Quia sive sponte sive inviti intersint, modò advertant, & intelligant,



gant, quid inter sponfos agatur, testari jam possunt de contracto matrimonio, ut de eo inito satis Ecclesiæ constare possit, ne, illo spreto, aliud iniri possit. Accedit Curiarum praxis pro ratis habentium matrimonia taliter contracta. Unde

Infertur cum citt. Sanch. n. 11. & aliis validum esse matrimonium contractum coram Parocho, & testibus casu transeuntibus, quia cum etiam tunc advertant, quid agatur, verè præfentes dicuntur, cum præsentia ad valorem matrimonii requisita, contenta sit sola advertentiâ intellectûs, sine actu voluntatis, seu consensu, prout tamen volunt Adversarii; nam solâ intellectûs advertentiâ habitâ, jam sufficienter testari possunt de contractu matrimoniali, etsi inviti intersint.

Notant tamen hîc Sanch. l. c. n. 12. Coninck l. c. n. 45. Palao. n. 11. cum aliis pluribus matrimonium contractum coram Parocho dolo, vel vi detento, illicitum esse, & taliter contrahentes graviter peccare; tum ratione injuriæ, quam inferunt Parocho; tum ratione contemptûs Ecclesiæ, cujus autoritate non contrahitur; De testibus tamen aliter sentit citt. Sanch. putans, contrahentes coram illis vi detentis peccare quidem venialiter, eò quòd non servetur reverentia debita Sacramento, non tamen lethaliter, nisi fors injuria sit gravis; quia ipsi non gerunt vices Ecclesiæ, autoritatem præstando ipsius nomine, sicut præstat Parochus, sed solum testium ministerium obeunt, quod æquè præstare possunt vi detenti, aut casu transeuntes.

